



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Truttenhusium, cœnobium ordinis Canoniorum regularium S. Augustini ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

*Tu quoq; nos olim duc (qui regis omnia solus)
Ad quæ es pollicitus gaudia vera, Pater.*

32. *Joachimus Fendius*, patria Faucensis, è S. Ulrici Augustana Abbatia evocatus, præficitur Thierhauptensibus cœnobitis Abbas decima Maji anno Christi 1547. ætatis suæ 34. vir procerus, Latinarum literarum non ignarus, humanus & hospitalis. Is hoc adhuc præsidet currente 1551. anno fideliter & feliciter. In ejus gratiam de cœnobii hujus prima origine tale lusi superiore anno, cum ex Augustanis Comitibus visendi ejus loci ergò exspatiatus essem, heroicum epigramma, parieti templi infertum.

*Thassilo, Bojorum dux, Longobardicus & rex,
Ex Odilone satus Regisq; sorore Pipini,
Hiltrude, has primus superis erexit & aras
Et sacras ades, monachorum ut ser viat illic
Collectus cœtus Domino, Gnatog, Patriq;
Spirituq;, Deo trino, virtute sed uni.
Condidit at, quod (dum venator retia tendit
Insidiasq; feris) gnatum amisisset ab una,
Hoc in rure, fera percussum a viderq; peremtum.
Quod, lector, Joachimus ego te Fendius Abbas
Scire volo. Tu fundatori læta precare,
Omnibus atq; bonis in nostra hac æde sepultis.*

TRUTTENHUSIUM, cœnobium ordinis Canonicorum regularium S. Augustini ad pedem altissimi montis S. Otiliæ in Alfatia ad Vosagum perameceno loco situm, fundatum est in honorem Beatae Virginis Mariæ, ac S. Nicolai Episcopi, sub Lucio ejus nominis III. Pontifice Maxim. Imperatore verò Frederico Barbarossa, Sueviæ & Alfatia Duce, potentissimiq; S. Otiliæ cœnobii advocato, anno Domini 1181. à Domina Herrade, insigni ac doctissima Abbatisa in Altitona sive S. Otiliæ monasterio, & à Domino Gunthero, germano fratre prædictæ Abbatisæ, nobili viro de Winheim & Lantsperg, ex ejusdem prædio quodam, quod ipse libere dedit, ad

construendam domum Dei augendamq; religionem tunc temporis usitatam. Habuit cœnobium id semper fere gubernatores Præpositos, qui à prima fundatione ad hæc nostra usq; tempora hi fuerunt.

1. *Volmarus Marbacensis*, Ecclesiæ in Alsatia etiam medio ferè itinere inter Colmariam & Rufachium civitates sitæ, ^{Marbach cœnobium.} Canonicus, primus constituitur hujus loci Præpositus an. 1181. Præfuit annis 30. Obiit anno 1211.

2. *Fridericus* Volmaro subrogatus præfuit annis 28. Deceffit ex hac vita mortali anno 1239.

3. *Falco*, Abbas prius Marbacensis, successit Friderico. Præfuit annis tribus. Obiit anno 1242.

4. *Wolframus* præfuit annis undecim. Obiit anno 1253.

5. *Hanemannus*.

6. *Eberhardus*.

7. *Waltherus*. Obiit anno 1281.

8. *Henricus* præfuit annis 23. Obiit anno 1304. Sub hoc Præposito fundatum est anno Domini 1288. sacellum S. Margaridos & Magdalenæ per virum strenuum Guntherum de Landesberg, militem ac vicedominum, per nobilemq; Dominam Adelheidin de Thanne, uxorem ejus.

9. *Sifridus* sedit ad præposituræ clavum annis 13. Obiit anno 1317.

10. *Joannes* præfuit 18. annis. Obiit anno 1335.

11. *Joannes* secundus præfuit 25. annis. Obiit anno 1360.

12. *Oswaldus*, nobilis de Berwenstein, cujus soror Domina Elisabetha quiescit in sacello S. Margaridos, præfuit 6. tantum annis. Obiit anno Domini 1366. Sub isto Præposito domus hæc incendio periit, combusta per Anglos, qui Alsatiam deprædabantur anno 1365. & paulo post cæsi sunt prope Basileam.

13. *Henricus* Præpositus sedit ad clavum annis sex. Obiit anno 1372. Sepelitur ad S. Arbogastum Argentinæ.

14. *Rudolphus* præfuit 7. annis. Obiit anno 1379.

15. *Rulinus* præfuit 24. annis. Obiit anno 1403.

16. *Burcardus* præfuit 15. annis. Obiit anno 1418.

A a a

17. An-

17. *Andreas Fabri de Basilea* præfuit 9. annis. Obit anno 1427.

18. *Joannes Betschelinus de Barrio* præfedit annis novem. Obit anno 1436.

19. *Nicolaus Wissenburgius* successit Joanni. Vidit cœnobium suum diripi, incendi ac miserè vastari anno Domini 1444. ab Armeniacis, qui duce Delphino non sine magna Germaniæ clade hostiliter grassabantur per totam Alsatiam: Ipse tamen cœnobium mox (fugatis & Helvetiorum manu partim cæsis hostibus) reædificavit & reformavit ac Capitulo generali Windesheimensi subjecit: ipse etiam mutato titulo ex Præposito Prior factus est: quamdiu verò præfuerit, aut quando obierit, ignoratur.

20. *Joannes de Dulmannia* subrogatur Nicolao, diligens illustrator cœnobii, eversus prius per Armeniacos prædones, vulgo die armen Gecken.

21. *Albertus* post Joannem eligitur anno 1492. Præfuit per unius saltem anni spacium. Obit anno 1493.

22. *Conradus Volcius*, ex Argentorato natus, præfuit 8. annis. Obit anno 1501.

23. *Joannes de Eschaw* præfuit annis 6.

24. *Gerhardus* eligitur anno 1507. Præfuit 4. annis.

25. *Wernerus* præfuitur anno 1511. Sedit ad gubernaculum annis duobus.

26. *Balthasarus* constituitur Prior hujus loci anno 1513. Præfuit annis 7. Sub eo humatus est anno Domini 1516. in ejus cœnobii media ecclesia Wolphius, nobilis heros ab Uttenheim, cum tali epitaphio.

Wolphius Uttenheim, miseranda morte perentus

In crepera noctis tempore ab ense fero,

Occubuit non sperata nece nec meditata,

A quibus haud timuit: sed requiescat. Amen.

27. *Joannes de Sospach* eligitur anno 1520. Præfuit annis 9. Sub eo cœnobium vastatum est à seditiosorum Alsatiarum agricolis.

28. An-

28. Antonius de Colonia præficitur cœnobio anno Domini 1529. Præfidet hac nimirum nostra adhuc tempestate. Dixi, Truttenhusium esse ad pedem celeberrimi illius montis, quem 4. milliariibus ab Argentina diffitum; S. Otiliæ jugum, & Vosagi, aut, ut alii dicunt, Vogesi caput vocant. Cujus meminit *Philesius* in carmine suo de Vosago, in hæc verba.

*Mons Vogesus sumit Rhetorum ex Alpibus ortum,
Et viridi costa te quog, Trevir, adit.
Gallica Teutonicis qui separat arva colonis,
Et Mediomatrice mox videt urbis agros.
Otilia in summo requiescit vertice montis,
Otilia, Alsatici gloria summa soli.*

Ascendamus igitur per amœnissimum lucum (qui cœnobii interjacet) ipsum etiam montem, & quid antiquitatum ecclesiarum habeat, videamus. In umbilico ferè montis est inferioris monasterii, vulgo Niderminsters, præclarum nobilium puellarum Deo dicatarum, eidemq; juxta institutum D. Benedicti fervientium cœnobium, cujus certum tamen initium & vera origo me hætenus latet. Vetusissimum autem esse, & eodem ferè tempore constructum ac fundatum, quo Altitonense S. Otiliæ monasterium cœpit, inde conjicio, quod D. Otilia ipsa sese utriusq; tam superioris, quam inferioris videlicet monasterii Abbatissam scripserit. Invenio item templum inferioris hujus monasterii à Mantuano quodam Episcopo consecratum esse anno 1182. Adscribam verò hic Abbatissas, quarum nomina in cœnobio hoc (quod anno Domini 1541. universum pene domestico incendio conflagravit) salva adhuc reperi & oblivione nondum oblitterata.

Inferius monasterium in umbilico montis S. Otiliæ.

1. D. *Guteliudis*, prima Abbatissa ejus (fortasse S. Otiliam primam ejusdem fundatricem, ut aliqui volunt, sequuta) fuisse legitur.

Abbatiss. nomina.

2. D. *Edelindis*, ut nomine, ita re etiam ipsa, hoc est, virtute & pietate verè nobilis Abbatissa, præfuit monasterio inferiori, sed quo tempore, id ad nostram notitiam non pervenit.

Aaaa 2

D. Wil-

3. *D. Wilburgis* præfuit ante & post annos Domini 1256. ut ex epigrammatibus quibusdam videre licet. In ambitus enim ingressu & faxea quadam columna sic legitur:

Anno ab incarnatione Domini, M. CC. LVI.

*Constructum tale constat nobis laqueare,
Tempore prælatæ Williburgis vocitæ,
Quæ Christo grata maneat cum plebe beatæ:
Hoc opus ad metam studuit quæ ducere lætam,
Centeno fructu benedicetur sine luctu.*

In ipso verò ambitu, sub faxea testudine talis adhuc superstes est inscriptio de illa ipsa Abbatissa Wilburgi.

Anno ab incarnatione Domini, M. CC. LVII.

*Ad metam ducta sunt hic laquearia structa
Tempore prælatæ Williburgis vocitæ,
Quæ cunctis grata, sit cælicolis sociata.
Et plebs dans gratis operi studium pietatis,
Fructum centenum sine luctu portet amcentum.*

Veterum Abbatissarum aliarum omnium nomina cum rebus interciderunt. Recentiorum vero sola hæc extant.

4. *D. Margareta Senii* decessit ex hac vita mortali anno Domini 1460. sepulta è regione suggesti.

5. *D. Margareta de Khandelm*, ex Westriæ regno nata, præfuit annis 15. Obiit anno Domini 1475.

6. *D. Ursula de Tribeln* præfuit annis 39. Obiit anno 1514. tertia Nonarum Aprilis. Sepelitur in medio choro.

7. *D. Rosina à Lapide*, præfuit 20. annis. Decessit anno 1534. Sepelitur prope *D. Ursulam*.

8. *D. Ursula à Ratzenshusen*, ultima hujus loci monialis, tenacissima femina, constituitur ab Episcopo Argentinensi, Guilielmo, non quidem Abbatissa, sed locumtenens & præfecta. Hæc anno Domini 1541. alio ad convivium quoddam invitata dum abest, interim incendium domi natum est, quo totum monasterium in cineres ac miserrimas ruinas collapsum est: quod postea Senatus Canonorum Argentinensium occupavit ac præfecto cuidam habitandum & gubernandum commisit. Fu-

isset dudum opus utriq; huic monialium sodalitis secunda aliqua Rilinde & reformatore quodam Barbarossa : sed cum is deesset, & Magistratus negligenter ista curaret, DEUS reformandum locum, ac dura visitatione in eum animadvertendum censuit, in quo non admodum regulariter (ne quid amplius dicam) vivebatur.

In summitate vero & apice montis hujus famosissimi ac amoenissimi est Altitona, vel, ut Germanicè vocant, Hohenburgense monialium S. Otiliæ monasterium spaciosissimum amplissimumq; , quod anno Domini 690. sub Childerico, Francorum Rege, ab Adelrico Ethicone, S. Otiliæ patre, regio in Alsatia præfecto ejusdemq; Childerici consanguineo, in superiori Ehenheimio, civitate Alsatiae, curiam ac sedem suam Ducalem habente, inchoatum ac (arce Regia in domum DEI conversa) conditum amplissimisq; præventibus annuis munificentissimè donatum esse legitur. Hujus loci Abbatissarum itidem, ut inferioris monasterii, non extat integer catalogus: subjungam verò harum nomina, quæ ad nostram notitiam pervenerunt.

Altitona.

Ehenheim.

Descriptio Abbatiss.

1. *S. Otilia*, Adelrici Ducis ac Alsatiarum præfecti filia, Abbatissa hujus loci prima fuit. Ejus tumulus honorificus adhuc cernitur in sacello, quod post nostri seculi conflagrationem instauravit iterum mediocriter Reverendissimus Princeps, D. Erasmus à Limburg, Episcopus hac tempestate Argentiniensis.

2. *S. Eugenia*, secunda hujus monasterii Domina & Abbatissa, in eodem sacello cubat honorificè tumulata. Post hanc nullam amplius invenio Abbatissam usque ad tempora Friderici Barbarossæ, Suevorum & Alsatiarum Ducis, postea in Imperatorem electi, qui audiens Vestales hujus loci procul à prima institutione deviasse, luxuque ac divitiis lascivire, reformaturus cœnobium universum, ejectis lascivientibus vetitisq; voluptatibus sordentibus feminabus, annum Christi circiter 1140. ex Pergensi Aistetensis Episcopatus celebri monasterio Dominicam *Rilindin*, virtutibus & litterarum cognitione præstantissimam virginem evocavit, & ad instaurandam iterum in hoc loco

Fridericus Barbarossa moniales lascivientes monasterio eicit.

3.

Aaaa 3

mona-

monasticæ congregationis prorsus collapsam disciplinam adduxit, eamq; Abbatissam Altitonensibus his laribus præfecit. Quæ non solum diligenti œconomix inspectione & annuorum proventuum augmentatione præclare præfuit, sed in hoc etiam longè præclarius, quod recollectis triginta tribus velatis virginibus, non tantum in Christianismo eas fideliter, sed in latinis etiam literis ita imbuerit, ut toti vicinix earum eruditio admirationi esset. Fuit hæc Domina *Rilindis* insignis versificatrix, cuius epigrammata quædam lege in Pergensis cœnobii annalibus, Quamdiu præfuerit huic loco, quando item rebus humanis exempta sit, aut quo genere nata fuerit, non invenio: certè secunda fundatrix hujus loci dici meruit.

Rilindis
Abbatissa
docta,
& Poëtria.

Evocatæ vero ex hac mortali vita, subrogata & substituta est ab eodem cœnobii hujus advocato, Domino Friderico Barbarossa, tum Romano Imperatore, suffragantibus unanimi consensu omnibus sororibus & monialibus, Domina *Herradis*, ex nobili Landspergiorum familia nata, cœnobii Altitonensis Professa, Rilinde nec virtutibus nec doctrina inferior. Quæ divinum cultum augeri volens, Truttenhusium cœnobium ad pedem montis situm, anno Domini 1181. de suis condidit, dotavitq; propriis bonis liberalissimè. Extitit in Altitona ante paucos adhuc annos liber sacrarum sententiarum justæ magnitudinis, ipsius manibus in mundissima membrana scriptus, & ex diversis cum Bibliorum, tum veterum doctorum monumentis ab ipsa collectus, sororibusq; tali epistola præliminari nuncupatus.

4.
Herradis
Abbatissa
erudita,
& pia.

Herradis, gratia DEI Hohenburgensis Ecclesiæ Abbatissa, licet indigna, dulcissimi Christi Virginibus in eadem Ecclesia quasi in vinea Domini fideliter laborantibus, gratiam & gloriam, quam dabit Dominus. Sanctitati vestræ insinuo, quod hunc librum, qui intitulatur *Hortus deliciarum*, ex diversis sacræ Philosophicæ scripturæ floribus, quasi apicula (Deo inspirante) comportavi, & ad laudem & honorem Christi & Ecclesiæ, causaq; dilectionis vestræ, quasi in unum mellissimum favum compaginavi. Quapropter in eo ipso libro oportet vos sedulo quærere pastum, & mellitis stillicidiis animum reficere lassum, ut sponsi blanditiis

Hortus
delicia-
rum Her-
radis.

semper occupatæ & spiritualibus delitiis faginatæ, transitoria
 securè percurratis & æterna felici iucunditate possideatis, me-
 que per varias maris fluctuum semitas periculose gradientem,
 fructuosis orationibus vestris à terrenis affectibus mitigatam, una
 vobiscum in amorem dilecti vestri sursum trahatis. Amen.

Addidit verò doctissima sui seculi versificatrix
 sequentes etiam Dithyrambos:

S Alve cohors Virginum
 Hobenoburgensium,
 Albens quale lilium
 Amans Dei filium.
 Herrad devotissima,
 Tua fidelissima
 Mater & ancillula,
 Cantat tibi cantica.
 Te salutat millies,
 Et exoptat indies,
 Ut lata victoria
 Vincas transitoria.
 O multarum speculum,
 Sperne quaso seculum,
 Virtutes accumula,
 Veri sponsi turmula.
 Inffitas luctamine
 Diros hostes sternere.
 Te Rex regum adiuvat,
 Qui vel te desiderat.
 Ipse tuum animum
 Firmat contra zabulum:
 Ipse post victoriam
 Dabit regni gloriam.
 Te decent delitiæ,
 Debentur di vitia:

Tibi

Tibi cœli curia

Servat bona plurima.

Christus parat nuptias,

Miras per delicias;

Nunc expectes principem

Te servando virginem.

Interim monilia

Circundes nobilia,

Et exornes faciem

Mentis purgans aciem.

Christus odit maculas,

Rugas spernit vetulas,

Pulchras vult virgunculas,

Turpes pellit feminas.

Fide cum turturea

Sponsum istum redama;

Ut tua formositas

Fiat perpes claritas.

Vivens sine fraudibus,

Es monenda laudibus,

Ut consumas optima

Tui gradus opera.

Ne vacilles dubia,

Inter mundi flumina,

Verus Deus premia

Spondet post pericula.

Patere nunc aspera,

Mundi spernens prospera:

Nunc sis crucis socia,

Regni confors postea.

Per hoc mare naviga,

Sanctitate gr̄a v̄ida,

Dum de nave prodeas,

Sion sanctam teneas.

Sion turris cælica,
Bella tenens atria,
Tibi fiet statio
Acto vitæ spatio.
Ibirex virgineus
Et Mariæ filius
Amplectens te redamet,
A majore releuet.
Parvipendens omnia
Tentatoris jacula,
Tunc gaudebis pleniter,
Jubilando sua viter.
Stella maris fulgida,
Virgo mater unica,
Te conjunget filio
Federe perpetuo.
Et me tecum trahere
Ne cesses precamine
Ad sponsum dulcissimum,
Virginalem filium.
Ut tuæ victoriæ,
Tuæ magnæ gloriæ,
Particeps inueniar,
De terrenis eruar.
Vale casta concio,
Mea Jubilatio,
Vivas sine crimine,
Christum semper dilige.
Sic hic liber utilis,
Tibi delectabilis:
Non cesses reuolvere
Hunc in tuo pectore.
Ne more struthinio
Surripiat obliuio,
Et ne viam deseras,
Antequam peruenias.

Bbbb

Ejus-

Ejusdem Herradis ad easdem sorores

Tetraſtichon.

*O ni ve i flores, dantes virtutis odores,
Semper di v i na pa u ſ a n t e s i n t h e o r i a :
P u l v e r e t e r r e n o c o n t e m t o , c u r r i t e c æ l o ,
Q u o n u n c a b ſ c o n ſ u m v a l e a t i s c e r n e r e ſ p o n ſ u m .*

Ejusdem ad Christum Diſtichon.

*E ſ t o n o ſ t r o r u m p i a m e r c e s , C h r i ſ t e , l a b o r u m ,
N o s e l e c t o r u m n u m e r a n s i n ſ o r t e t u o r u m .*

Post Herradin nullas amplius Altitonenses Abbatissas invenio annotatas, præter has, quæ nostris ferè temporibus præfuerunt, quas omittere tamen non volui. Sunt autem hæc.

5. *D. Veronica de Andlow*, quæ legitur obiisse anno Domini 1508.

6. *D. Agnes Zuckenmentlin*, quæ utilissime præfuit 30. annis & obiit anno 1539.

7. *D. Anastasia*, vel *Anna* aliquibus dicta de Oberkirch, præfuit tribus annis. Deceſſit anno Domini 1542. Sub hac conflagravit inferius monasterium.

8. *D. Agnes de Oberkirchen*, soror antecessoris Annæ, præfuit annis quatuor, & vidit anno Domini 1546. incomparabili incendio deflagrare suum etiam hoc totum cœnobium amplissimum, ac (ut ex ipsis etiam ruinis facile colligi potest) longe magnificentissimum, ex quo tota Argentina, imo omnis Alſatia superior & inferior, tota item Hercinia, totusq; Rhenus ab Argentorato Basileam usq; amœnissimo ac incomparabili prospectu videri potest. Incendium in parvis Abbatissæ balneolis ortum dicitur. Hæc Argentinam postea concessit, ubi hoc adhuc vivit corrente Jubileo. Cœnobium, ab Episcopo Argentinensi occupatum, à duobus aut tribus monachis nunc habitatur.

TUL-